

Christian Dreier Matthias Helmsing

Disputatio Theologica De Iustificatione Et Certitudine Gratiae Ex Verbis Jobi Cap. IX. v. XX, XXI. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem me ostendero, pravum me comprobabit ... : iuxta Statuta Venerandae Facult. Theologicae Pro Loco In extraordinaria Theologiae Professione obtinendo

Regiomonti: Reusner, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn785216154>


Druck Freier  Zugang



35

Fa-1092 (35.)

2
3
4.
7
6.
2
3
2
2
3
17.
5.
6



Σὺς θεῶν

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

JUSTIFICATIONE

Et

CERTITVDINE GRATIÆ

Ex Verbis Jobi Cap. IX. v. XX, XXI.

Si justificare me voluero, os me-
um condemnabit me; si innocentem me o-
stendero, pravum me comprobabit. Etiam si simplex
fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit
me vitæ meæ.

Juxta Statuta Venerandæ Facult. Theologicæ

PRO LOCO

In extraordinariâ Theologiæ Professione
obtinendo

Publicè proposita

à

CHRISTIANO DREIERO Pomer.
S.S. Theol D.

Respondente

MATTHIA Helmsing/ Zabelà-Curlando.

*Ad diem 7. Octobr: horis ante- & Pomeridianis,
In Auditorio majori.*

REGIOMONTI,

Typis JOHANNIS REVSNERI Anno M. DC. XLIV.

SERENISSIMO ac POTENTISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,
DOMINO

FRIDERICO
WILHELMO,


Marchioni Brandenburgensi,
S. R. J. Archicamerario & Electoris
in Borussia, Juliae, Cliviae, Montium,
Stetini, Pomeranorum, Cassubiorum ac
Vandalorum, in Silesia, Crofnæ, Carnoviae & Jegerndorfi Duci; Burggravo
Norinbergensi, Principi Rugiae,
Comiti Marcae & Ravensburgi,
Domino in Ravenstein &c.

Domino suo Clementissimo

*Theses hasce præliminares in devota
subjectionis signum*

humilimè offerre

Christianus Drejer
S. Theol. D.



Explicatio Dicti Job 9, v. 20, 21.

1.



Verba, quae leguntur Job 9, v. 20, 21. inter ea sunt, quibus principalis caput fidei nostrae de Justificatione magnam partem illustratur, quibusq; maximè abutuntur Pontificij ad propugnandum dogma dubitationis, & incertitudinis gratia, ut neminem de Justificatione suâ certum esse posse, verosimile faciant. Itaq; spera pretium putavimus, non nihil in hanc rem inquirere, & locum hunc eò evolvere diligentius, quo plûs solacij piis mentibus doctrina de gratuita justificatione praestat, & dogma illud dubitationis ac desperationis Pontificium Ecclesiae & Religioni Christianae esse perniciosus.

2. Desumptum autem est dictum praesens ex Responsione Jobi ad verba Bildadi, quâ adhuc adversus criminationem amicorum se suscit, & ostendit, ex eventibus externis & praesentibus Dei judicij non esse de hominibus judicandum. Continet verò quatuor potissimum Positiones, quas ordine considerare convenit. Primum dicit: Si justus sim, os meum condemnabit me. Quae est Conditionalis Propositio: Nam particula Si , tametsi & alias significationes habet, commodè hoc loco per Si, vel etiamsi redditur. Alias etiam interrogativa est, ut Jud. 9, v. 2. Jesai. 66, v. 9. Job. 6, v. 5. & alibi, quae significatio si hoc loco obtineret, id sibi velle Job: Num justus sum? Os meum condemnabit me. Verùm haec sequentia verba, prout connectuntur cum praecedentibus, potius evincere videntur, quod hoc loco sit condicionalis; id quod etiam magis conforme est antecedentibus & subjekte materia; nec

A 2

aliâ

aliâ ratione interpretes accèperunt. LXX. 'Εὐὼ δὲ δὶκαίῳ.
 Hieronymus: Si justificare me voluero. Targum 'דין פן.
 Vox פן non transitivam, sed intransitivam habet signifi-
 cationem, veluti Psal. 51, v. 6. ut פן justus sis, quando lo-
 queris. Unde Hieronymus potius sensum, quam vocem respe-
 xisse videtur: cum vertit, Si justificare me voluero. Nam aliud
 est פן, aliud פן. LXX. verò magis verba ipsa ex-
 presserunt, 'Εὐὼ δὲ δὶκαίῳ, Augustinus etiam Tom. 4. in An-
 not. in Job. Si justus fuero.

3. Ceterum non reapse justum, sed tantum opinione, &
 gloriatione talem intelligi, contextus docet: Quem enim pro-
 prius sermo falsitatis convincit, dum se justum dicit, hoc ipso ve-
 rè justus non est, sed tantum opinione suâ, vel externo sermone.
 Et hoc fortasse in Vulgatâ versione, & Hieronymo dicitur: Si
 justificare me voluero, id est, Si justum me dixerò, seu pronun-
 ciavero. Neq. enim coràm Deo quisquâ justus est, sc: per opera
 sua, nec id virè dicere potest, ut patet ex Psal. 142. v. 2. Prov.
 20, v. 9 Eccles. 7, v. 21. 1. Job. 1, 8. In his locis quod dicitur,
 idem etiam Jobus hoc loco asserit, quo cum & Eliphaz
 Themanites concinuit Job. 15, v. 14, 15. quamvis aliàs minus
 rectè contra Jobum dispuerit.

4. Verum obstare videtur, quod Jobus per totam librum
 suam justitiam asserat contra Amicos insultantes, & peccatum
 quoddam ipsi affricare volentes. Ad hoc dicimus, quod de du-
 plici potissimum justitiâ in libro suo agat Job, de justitiâ bonæ
 conscientie, quam Amici ejus in dubium vocabant, asserentes,
 propter enormia peccata ipsum ad id affligi; & de justitiâ ope-
 rum perfectâ habituali. De priori cum loquitur, defendit suam
 causam contra Amicos, quod bonam conscientiam servaverit,
 nec enorme quoddam delictum commiserit, quo ipso præ aliis,
 præsertim Amicis suis, iram Dei & tam acerbam afflictionem si-
 bi attraxerit. De alterâ verò cum loquitur, sicut de eâ hoc
 loco

loco sermonem facit, agnoscit se peccatorem, qui coram Deo non sit justus, nec possit in judicio Dei causam dicere, id quod facetur Cap. 9, v. 2, 3. cap. 14, v. 4. 16. 17. cap. 15, v. 15, 16.

5. Haec Condicio, propositio eã nitens est: Os meum condemnabit me. Os, quam vocem omnes recinent Interpretes, per metalepsin aut metonymiam significat interdum voluntatem, sententiam, cogitationem, ut Gen. 24, v. 57. Queramus os ejus, id est, inquiramus, quo sit animo, quid sentiat, Jos. 9, v. 14. Os Domini non interrogaverunt, id est, voluntatem Dei non exploraverunt. 2 Sam. 17, v. 5. audiamus, quid in ore ejus sit, hoc est, quid ipse sentiat. Quae significatio si hoc loco obtineret, id forte diceret Job: Cogitationes meae, dum ita mecum staret, damnarent me. Sed convenientius accipitur, quae & frequentius occurrit significatio, per metonymiam causa pro sermone, ut Prov. 4, v. 24. Remove à te perverfitatem oris, id est, perversum sermonem, cap. 6, v. 12. Vir iniquus ambulat in perverfitate oris, id est, solet homines circumvenire perverso sermone. Id itaq; vult dicere: Si me justum putavero, & dixerò, sermo iste meus damnabit me, seu impium me faciet, sicut est in Hebraeo פִּי יִשְׁפֹּטַי, falsus enim erit, & hoc ipso me peccatorem esse, convincet. LXX. τὸ σῶμα μου ἀπειθήσει, os meum praevaricabitur, siue impie loquetur. Sicut & Augustinus habet in Annotationibus: Os meum impia loquetur. Proinde de voce condemnandi, an pertineat ad poenam, an ad culpam, prolixè differere, ut facit Pineda in hunc locum, supervacaneum est.

6. Haec, quam huc usq; dedimus, explicatio, optimè quadrat ad objectionem Bildadi, qui capite precedente, v. 3. dixerat: an Deus fortis perverteret judicium, & an omnipotens perverteret justitiam? Ad quod respondens Job facetur omnino, Deum justum esse in actionibus & judiciis suis, etiã hoc ipso, dum ita se percutiat, idq; propterea, quia mortalis Deo comparatus

non sit justus, adeoq; ipse etiam tot saltem oculis delictis sit im-
plicatus, ut justum se pronunciare coram ipso nequaquam possit.
Ceterum id quoq; sibi vult concedi, quod non solum impium, sed
& justum affligat Deus, ut dicit cap. 9. v. 22. & super eo puncto
cum Amicis disceptat. Unum igitur, quod dixerat Bildad, fa-
retur, alterum inficiatur.

7. Altera Propositio est: Integer sum, pervertit me:
que itidem est Conditionalis, tamen si conditionalis particula
non sit adjecta, sicut nec Targum adjevit **NON** **וְהוּא** Hierony-
mus autem, & vulgata versio addiderunt, itemq; LXX. Inter-
pretes, **וְהוּא** **וְהוּא** **וְהוּא**, si fuero irreprehensibilis. Vox **וְהוּא**,
quam hoc loco per innocentem, irreprehensibilem, integrum, sim-
plicem Interpretes reddunt, usitatâ Scripturâ phrasî significa-
eum hominem, qui habet bonam conscientiam, hoc est, qui caret
criminibus damnabilibus, & ipsa peccata venialia non negligit
quotidianâ Oratione mundare, qui non est hypocrisis, & dupli-
ci corde Deum colit, vel cum proximo versatur: Quâ ratione **וְהוּא**
perfectus dicitur Jacob Gen. 25, v. 27, & Job ipse cap. I. v. 1.
Sic & de Abimelech dicitur, quod **וְהוּא** in sinceritate cordis sui
voluerit sibi Abrahami mulierem, quam hic sororem suam dice-
bat, in uxorem ducere. Et David Psal. 25, v. 21. **וְהוּא** inte-
gritas, & rectitudo custodiens me. Ut adeo omne, quod non sit
malâ intentione, sed candido & sincero animo, dicatur in sim-
plicitate, seu integritate fieri; & omnis, qui ita vivit & agit,
dicatur simplex & integer.

8. Optime autem declarat vocabulum **וְהוּא** contraria Scri-
pturâ phrasî, duplici corde, seu in corde & corde aliquid face-
re, ut Psal. 12. v. 3. labio blanditiarum in corde & corde lo-
quuntur. 1. Paral. 12, v. 33. ad struendam aciem in non corde &
corde, seu non in duplici corde. Cujusmodi homines **דוֹפְקוֹי** di-
cuntur, Jacob. 4, v. 8. Quare qui sunt hypocrisis, non bonâ in-
tentione aliquid agunt, aliter sentiunt, aliter loquuntur, oppo-
nuntur

nuntiar iis, qui *DDN* integri, & simplices dicuntur, qui non habent duplex cor, seu duplicem animum, alterum intus, alterum exterius in verbis & sermone.

9. Quapropter dicit Job: Si integer, simplex, sincerus sim, procul ab omni hypocrisis, & dolo, adeoq; bonam conscientiam habeam, ipse pravum reddet me. Sane Jobus reverà talis erat coram mundo: Unde ipsi statim in principio libri hanc integritatis laudem Scriptura tribuit: Sed eam non sufficere coram Deo significat: Nam testimonium bonæ conscientie non absolvit in iudicio Dei ob quotidiana delicta, & ob multos nevos, quos Deus collocat in lumine vultus sui, Psal. 90, v. 8 & multa sunt peccata, quæ non intelligimus, Deus autem intelligit, ab occultis nos mundans Psal. 19, v. 13. Quamvis simplicitatem studiosè servemus, ex consideratione tamen intimæ puritatis ostenditur, quod hæc ipsa, quam agimus, simplicitas non sit; ait Gregorius in hunc locum Jobi. Idem ergo hic Jobus dicit, quod Paulus I. Cor. 4. v. 4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus.

10. Ideò Vulgata versio, Hieronymus, & Gregorius habent: Si innocentem ostendero; & Augustinus: Si me justum putavero, scilicet in iudicio Dei, si me integram & simplicem dixerò, perverteret me. Non enim loquitur Job de integritate conscientie suæ iudicio hominum tantum estimatâ, sed & iudicio ipsius Dei; sicut ait in principio Capituli: Quomodo justificabit se hominem Deo. At in iudicio Dei nemo integer, innocens, & simplex est. Quare hic est sensus: Si coram Deo sincerum, integrum, innocentem me aestimem, & nullius peccati me conscius dicam, sicut ego reverà mihi alicujus criminis non sum conscius, ipse tamen me pravum comprobabit, hoc est, in istâ meâ integritate & conscientia nevos multos, tantasq; imperfectiones deprehendet, ut me non integrum, & perfectum, sed pravum jure aestimaverit.

11. In

11. In Hebræo est *וַיִּפְּשֵׁי*. Ubi *Conuersivum esse*, non copulativum, notat *Drusius*. *Pervertit me*, seu *perverteret*. Unde *Vulgata versio*, *Hieronymus*, & *LXX.* *Conjunctionem copulativam omiserunt*. At *Scholiastes* addidit, καὶ ἐπέβλασέν με, & *pervertit me*; *Targum* etiam *וַיִּפְּשֵׁי*, & *pervertit* seu *dissipat me*. Si *priora verba non ut conditionem*, sed ut *propositionem Categoricalam accipiamus*, forsitan *adversativa esse* posset: *Integer ego sum*; sed *perverteret me*. At *satius est*, ut *simpliciter accipiamus* tanquam *propositionem conditionalem*: Si *integrum me dicerem*, *perverteret me*. *Accipiendum autem id non de actu physico*, sed *morali*, seu *judiciali*: *Deus enim neminem pravum facit*, sed *pravum & injustum in iudicio suo pronunciat & ostendit*. Hinc *LXX.* σὺ δὲ ἄδικος, *pravius evadam*, scilicet *ipso iudicante*, & *improbum me convincente*. *Qua ratione & Jobi 32, v. 3.* dicitur *וַיִּפְּשֵׁי*, & tamen *condemnabant lobum*.

12. *Tertia Propositio apud Hieronymum & in Vulgatâ versione sic habet*: *Etiam si simplex fuero*, hoc ipsum ignorabit anima mea. *LXX.* etiam *perspicue conditionalem*, seu *discretivam faciunt propositionem*, εἴ τι ἐποίησα, *si impiè egi*. *Sensum potius per contrarium exprimere voluerunt*, quàm *textum à verbo ad verbum reddere*. Nam in *Ebræo & Chaldæo idem verbum ex precedenti propositione repetitur*, וַיִּפְּשֵׁי, *cujus significatio jam declarata est*.

13. *Id verò obscurum est*, quod dicit: *Hoc ipsum ignorabit anima mea*. לֹא אֶכְרַע נַפְשִׁי. *Targum* וַיִּפְּשֵׁי. *Hieronymus*, & *Vulgata versio accipiunt in Nominativo*: hoc ignorabit anima mea. At *verbum est primæ, non tertie personæ*, nisi fortè dicamus, *sensum potius ab illis exprimi*. *LXX.* melius: εἰ δὲ ἴδω τῆ ψυχῆ: *Si quid impiè locutus sum*, aut egi, *nescio*, *ignorans hoc feci*. *Vel etiam si integer sim*, & *habeam bonâ conscientiam*, tamen *in iudicio ejus & hoc ignorabit anima mea*,

mea, quia is tamen multorum delictorum me reum agere potest.
Sic Lutherus accepit, & Gregorius Magnus in hunc locum;
Plerumq; inquit, si scimus bona, quæ agimus, ad elationem ducimur, si nescimus, minimè servamus; sed contra utraq; quid superest, nisi, ut recta, quæ agimus, sciendo nesciamus, ut hæc & recta æstimemus, & minima.

14. *Aliàs Anima vitam sæpè denotat in Scripturis; Est h. 7. v. 3. & 7. Percitur pro animâ, id est, pro vitâ, & hæc ratione dicitur queri anima 1. Reg. 19, v. 10. & percuti anima Lev. 24, v. 17. 18. Inde quidam accipiunt de ærumnis, & miseriâ, ut Vatablus, hoc sensu: Deficio, consumptus sum, nec novi animam meam: id est; non novi animam meam fungi muneribus suis præ dolore, & angustia. Nonnulli hanc significationem animæ retinent, sed verbum cognoscendi paulò aliter sumunt, ut non scientiam simplicem, sed approbativam cum singulari curâ conjunctam denotet, ut Psal. 1. v. 6. dicitur Deus nosse viam justorum, id est, curare, juvare, & promovere, & Prov. 12. v. 10. justus cognoscit animam jumenti sui, id est, sustentat, & curat vitam ejus, quasi Job diceret: Non novi vitam meam, id est, parvi pendo vitam meam, scilicet præ integritate: Eâ enim integritate sum, ut nunquàm animæ, aut vitæ meæ ratione abduci poterim aut possim ab integritate meâ. Sic Junius, & Tremellius. Vel etiamsi integer sim, tamen nescio, id est, non curo, nec curare audeo vitam meam. Et huc inclinât Augustinus Annot. in hunc locum: Quamvis, inquit, nesciam, si impiè egi, tamen auferetur vita mea, ut patiar, quæ nolo, aut non faciam, quæ volo.*

15. *Eam expositionem tamen non improbamus, convenientius tamen verba accipiuntur de simplici notitiâ, si non in se spectatâ, tamen respectu defensionis, & manifestationis ad alios, sensu ante exposito. Etenim non solum hæc antiquissima,*

B

& maxi-

& maxime recepta est expositio, sed & modo loquendi Scripturae
 conformis: Anima enim saepius ipsum hominem, seu cuiusq. per-
 sonā denotat, sicut dicitur Esai. 46, v. 2. דַּוָּדָא anima ipsorum
 in captivitatē abiit, id est אָוִי, ipsi captivi abducti sunt,
 ut LXX. reddiderunt, & Amos 6, v. 8. Juravit Dominus ex-
 ercituū יְהוָה per animam suam, id est, per seipsum: Qui
 modus loquendi praesertim in Syriaco sermone usitatus est, ut
 Matth. 4, v. 6. Mittere יְהוָה animam tuam deorsum, id est
αὐτὸν, ut est in Græco textu. Nec verosimile est vocem ani-
 mæ hoc loco pro vitâ sumi, cum postea loquatur de neglectu vitæ
 suæ Jobus, cum ait: Reprobo vitam meam. Præterea con-
 venit hæc interpretatio cum scopo textus: Etiam si integer sim,
 & talem hætenus in mundo me exhibuerim; tamen ipse igno-
 rare cogor omnem meam justiciam & integritatem in iudicio
 Dei, scilicet ob occulta delicta, quæ Deus novit, & externam af-
 flictionem, quia quoad eam inter justum & injustum nullum
 discrimen facit, sed impium, & innocentem consumit, ut postea
 loquitur; vel etiam tantis me conscientie terroribus opprimit,
 ut nec ea, quæ pro defensione justitiæ meæ afferri possunt, in-
 mentem veniant.

16, Quarto dicit Jobus: Et tædebit me vitæ meæ, *Ue-*
habet Vulgata & Hieronymus, LXX. ὡλὴν ἀφαιρέσει με ἡ
ζωή, Veruntamen auferetur vita mea. Chal. Paraphrasis
יִרְמֹשׁ אֶת־חַיֵּי removebo, seu abjiciam vitam meam, quod opti-
 mē convenit cum Hebræo, יִרְמֹשׁ אֶת־חַיֵּי, abjiciam, reprobo,
 spernam vitam meam, quasi diceret: Tam arumosa est vita
 mea, ut certè eam flocci faciam, & mortem cum vitâ lubens
 commutarem, quò ab omnibus his malis tandem liberarer, sicut
 & Gregorius in hunc locum lib. 9. Moral. cap. 19. Tædet, in-
 quit, justum vivere, quia & operando vitam non desi-
 nit quærere, & tamen ejusdem vitæ meritum non va-
 let invenire.

17. Ex

17. Ex datâ hactenus *Analysi & expositione verborum* promptum est varias deducere *Conclusiones*. Nos tribus hæc vice contenti erimus: *Prima est: Homo non justificatur bonis operibus, sed solâ fide.* Pontificij volunt, hominem justificari per opera, non quidem facta ex solis liberi arbitrij viribus, sed per gratiam Spiritus sancti, duplici ratione; primo per modum dispositionis in justificatione, quam vocant, primâ, quâ ex injusto fit justus; Secundò per modum cause formalis & meritorie in justificatione, ut vocant, secundâ, quâ quis ex justo fit justior. Neutro modo fidem solâ justificare dicunt, sed præterea spem, charitatem, pœnitentiâ. Sic Bellarminus lib. 1. de Justif. cap. 13. & seq. At contra nos asserimus, bona opera sive per gratiam, sive sine gratiâ facta nullo modo justificare, neq; ut causam formalem, neq; ut meritoriam, neq; ut dispositionem ad justitiâ, neq; ut instrumentum, sed ea consequi jam factam justificationem, tanquàm fructus, & effecta hominis justificati; fidem autem solam justificare, non ut dispositionem, nec ut causam formalem, sed ut instrumentum, seu actum acquiescentem in promissionibus Dei.

18. Assertionem nostram sic confirmamus: Qui integritate, ac optimâ conscientiâ suâ non justificatur, ille non potest justificari bonis operibus, vel inherente quâdam justitiâ. Nam justificatio per opera si datur, maxime datur per opera ea, quæ bonam conscientiam comitantem habent. At nullus homo integritate & optimâ conscientiâ suâ potest justificari, ut patet exemplo Jobi hoc in loco, qui omnino sibi bonâ conscientiam tribuens, nihilominus negat, se hoc ipso in judicio Dei absolvi, aut justum pronunciarî, sicut & Paulus ait I. Cor. 4. v. 4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus, qui me judicat, Dominus est. In quem locum Chrysost. homil. II. Quamnam ob causam, inquit, si sibi nihil fuit conscius, non fuit justificatus? Quoniam contingebat, ut ab ipso quædam peccata essent admissa, neq; tamen ipse sciret, hæc esse peccata,

19. *Attendendum, quod argumentum procedat à majori ad minus: Si enim ij, qui tantum boni prastiterunt, ut optimam retinuerint conscientiam, non poterunt omnibus suis operibus justificari, multominus ij, qui interdum in gravia prolapsi sunt, vel etiam prolabantur peccata. Sic colligit Hieronymus super I. Cor. 4. Si hoc Paulus dicit, inquit, quid à nobis dici debeat, cogitandum est; sed non in hoc justificatus sum. Proinde objici non potest per imperfecta etiam opera nos justificari, conjuncta cum remissione peccatorum mortalium, & venialium. Nam si id esset, multò magis per opera bona conjuncta cum bonà conscientia exclusis omnibus mortalibus peccatis justificaremur. At simpliciter negat Jobus, se justum esse per opera sua in judicio Dei, sive cum remissione peccatorum sine conjuncta, sive sine ea fuerint. Nec potest dici, quod verba sine humilitatis, quæ Jobus, & Paulus proferunt: Ita enim se viri sancti humiliant, ne hypocrisis, & mendacium incurrant: Sancti humiles esse debent, sed non mendaces, ait ipse Bellarminus lib. 3. de Justif. cap. 5.*

20. *Secunda Conclusio, quæ ex precedente fluit, hæc sit: Homo justificatur per non imputationem peccatorum, & imputationem justitiæ externæ. Hoc qui asserunt, in Tridentina Synodus Sess. 6. Canon. in præfractè anathema dicit: Si quis dixerit, inquit ibi patres, hominem justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, anathema sit. At nos intentum probamus hunc in modum: Qui in se peccatores & injusti existentes, justi pronunciantur à Deo, illi justificantur non imputatione peccatorum: Justificatio enim non consistit cum reatu peccatorum: Ideò etiam si peccata maneat, reatus tamen tollatur, necesse est, cum quis justus pronuncietur. At omnes quos Deus justificat, in se peccatores & injusti existentes justi pronunciantur à Deo; id quod patet iterum exemplo Jobi & Pauli, qui*
justi

justi pronunciatum sunt non per suam inhaerentem justitiam; Item Davidis, qui beatum & justum dicit, cui Dominus non imputat peccata Psal. 32, v. 1, 2. Rom. 4, v. 8. E. omnes quos Deus justificat, justificantur non imputatione peccatorum. Ulterius: Qui in se peccatores, & injusti existentes, justi pronunciantur per veram perfectam justitiam, illi justificantur per justitiam extrinsecam: Intrinsicam enim in peccatore imperfecta, imo nulla est, cum justitia operum, seu legis omnibus numeris perfecta requiratur. Ac quos Deus justificat, omnes in se peccatores & injusti existentes, justi pronunciantur per veram perfectam justitiam, quod nos hoc loco supponimus; alibi autem prolixè à nobis confirmatur. E. quos Deus justificat, justificantur non per intrinsicam, sed extrinsecam justitiam, quae non est alia nisi justitia Christi. Unde constat, quae sit vera causa formalis justificationis.

21. Tertia Conclusio sic: Non obstante dicto Jobi, renatus potest esse certus de justificatione sua. Hanc Conclusionem hoc loco non tam intendimus probare, quam vindicare ab objectione, quam ex dicto hactenus explicato formare solent adversarii. Sententia eorum est, quod nemo in hac vita sine speciali revelatione possit esse certus certitudine fidei divinae, sibi remissa esse peccata, ut loquitur Bellarminus lib. 3. de Justif. cap. 2. Vocant autem fidem divinam, quae pro objecto habeat testimonium divinum, & sic penitus infallibilis. Notandum, quod quando nos dicimus, fide infallibili hominem certum esse posse de justificatione sua, id non intelligamus de fide Epicuræorum, impiorum, & haereticorum, quibus non fides, sed vana fidei persuasio competit, verum de fide verè credentium, & renatorum; nec ulterius id intelligamus de fide tentatorum, quae sepius gravissimis dubitationibus colluctatur, ita ut vix sentiantur; sed de fide eorum, qui dubitationi resistunt, eamque superant. Hos fide divinam infallibili statuere, se esse justificatos, omnino asserimus.

22. Bellarminus lib. 3. de Iustif. cap. 5. pro sua sententiâ sic colligit ex dicto Iobi: Si Job certus fuisset certitudine fidei de sua iustitiâ, non potuisset sine mendacio, vel etiam sine perfidiâ dubitationem illam ostendere: Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Et ex eodem fundamento exclamat Pineda in Job. 9. cap. v. 21. Elegans sanè locus pro confirmando illo dogmate de incertitudine gratiæ. Rationem hanc dat, quod simplex, & vera sententia verborum Iobi sit: Si antea de vita conscientiam & innocentiam me sustentare consolariq; voluero, non omnino poterò, cum id mihi certò & clarè constare non possit. Quare nihil mihi in vitâ reliquum esse videtur, quàm tadium vitæ, & mortis votum. Consequentiam clarius paulò explicatam demps: Qui dubitat de iustitiâ suâ, ille non potest esse certus de suâ iustitiâ, seu justificatione. At renati & sancti dubitant de iustitiâ suâ, ut patet hoc loco ex verbis Iobi. E.

23. Hic verò limitamus majorem: Qui dubitat de iustitiâ habituali inhærente, is non potest esse certus de justificatione per opera. Sic eorum concedere possumus argumentum, nec talis correctio à nobis defenditur. At si hic sensus sit: Qui dubitat de justificatione per non imputationem peccati, & imputationem iustitiæ Christi, factam mediante fide, is non potest esse certus de justificatione suâ, sic concedimus majorem, sed negamus minorem: Nunquam enim de eâ dubitavit Iobus, quin potius, cap. 19, v. 25. Scio, inquit, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die ex pulvere me suscitabit, & in carne meâ videbo Dominum. At de iustitiâ operum suorum, quanta esset, omnino dubitavit, & contremuit; sicut & Paulus se quidem nullius sibi conscium dicit, sed in hoc se non justificatum esse 1. Cor. 4, v. 4. ignorans, quanta esset iustitia operum suorum; sed nihilominus de iustitiâ fidei ait Rom. 8, v. 38.


v. 38, certus sum, quod neq; mors, neq; vita possit nos separare à dilectione DEI quæ est in Christo.


24. Deinde respondemus ad Minorem, duplici modo intelligi posse, quod Job dubitaverit de justitiâ operum suorum, vel quod anceps fuerit, an eâ posset coram DEO justificari, vel quod nescierit, quàm perfecta, aut imperfecta, quor modis contaminata esset. Priori modo falsum est, quod Job de justitiâ suâ dubitaverit, quin potius certissimus fuit, quod eâ in iudicio DEI absolvi non posset: Sicut disertè dicit in principio cap. 9. v. 2. Verè scio, quod ita sit, & quod non justificetur homo comparatus Deo. Proinde cum Davide & omnibus aliis sanctis simpliciter negat, se justificari coram DEO operum suorum justitiâ, nec de eo ulla subit animum ipsius dubitatio. Posteriori modo admittimus, Jobum dubitasse, tametsi bonæ conscientie laudem sibi tribuit: Neq; enim quisquam scire potest, quantum boni præsterit ob oculos delicta. Et hæc pertinent verba Gregorii quæ ex Libr. 9. Moral. cap. 17. 19. citat Bellarminus: Quid de aliis loquar, qui ipse pro me testimonium ferre non valeo? Et rursus: Si subtili discussione nos requirimus, plerumq; inter vitia virtutesq; caligamus.


25. Utrumq; defendimus & utrumq; in Scripturis asseritur, nos non debere considerare in propriis operibus, & nos debere certos esse de promissionibus divinis. Prius in nobis excitat metum & tremorem, de quo Paulus Phil. 2, v. 12. cum timore ac tremore salutem vestram operamini, & I. Cor. 10, v. 12. Qui se existimat stare, videat, ne cadat. Posteriorius requirit natura fidei, 1. Johan. 5. v. 10. Qui non credit DEO, mendacem facit ipsum, Matth. 21, v. 21. Si habueritis fidem & non hæsitaveritis, Jacob. 1, v. 6. Postulet in fide, nil hæsitans. Nec potest dici, quod illa certitudo solummodo generalis sit: Quisq;
enim.


enim subsumere potest sub promissionibus generalibus, veluti Deus vult omnes homines salvos fieri, Christus omnes redemit, Spiritus sanctus omnes vocat. Ego sum homo. E. & me vult salvum fieri, Christus me redemit, Spiritus sanctus me vocat. Hoc dum credit, testimonio Dei credit fide infallibili. Conclusio enim in his non minus verbum Dei est, quam Propositio major, quæ expressè in Scripturâ continetur. Accedit præterea testimonium internum Spiritus sancti: Omnis enim, qui credit in Filium DEI, habet testimonium in semetipso, 1. Ioh. 5, v. 10. Omnis renatus credit in Filium DEI. E. habet testimonium DEI in semetipso, scilicet quo Spiritus sanctus testatur, ipsum esse Filium DEI. Rom. 8, v. 16.

25. Verùm dicat quis, quia non constat, quanta sit operum iustitia, fides, spes, charitas, poenitentia, inde consequenter neminem certum esse posse de justificatione suâ. Hic negamus consequentiam: operum enim iustitia actum justificationis non ingreditur, ut supra probavimus, nec fides ut opus in lege præscriptum consideratur, sed ut actus acquiescens in promissionibus & beneficiis Christi, cuiusmodi actum se elicere, cum credit promissionibus divinis, quisq; exactè cognoscit, sicut quis certò scit, se videre, cum videt; audire, cum audit; velle cum vult; assentiri, cum assensum præbet. Igitur non nisi præsentia fidei ad hanc certitudinem requiritur, notitiâ graduum virtutis opus non est. Hanc verò dum omnibus modis requirunt Adversarii, gratiam DEI & justificationem à meritis operum suspendunt, atq; in iis locis hærent, in quibus sancti propriæ suæ iustitiæ diffidunt, mirum non est, quod diffidentiam & dubitationem ipsi Articulo de justificatione infarciant.














Cere, et faciem macore confici Psaltes profitetur. Quam
tantur infantes et eiulant, si mammis adfueti maternis, his
item carere deliciis cogantur! Quid si prorsus ab hoc victu
emouentur ablaetandi? Heu quam sunt impatientes huius
im molestae, tenelli praecipue, qui immatura adhuc aetate,
quod ablaetationi conueniens est tempus, ab vberibus re-
maternis, alienis parum adfueti cibis! Anxie suam deplorant
ctuque et eiulatu, quem sentiunt dolorem produnt, lacry-
quaeritant, matris quo acquiescant finum, et mammarum
ur vbertatem. Idem sibi prorsus contingere fatetur Dau-
rimum in compefcenda carnis libidine paulo saltem fuerit,
, remissior: *Si non sedavi animam, factus sum ablaetato simi-*
ta eiusmodi *ablaetatio*, cum tantos iam pariat dolores;
ri, ex eo colligamus, aegritudine mentis affligantur et per-
, qui *consummata* ea, prorsus a Deo auullos se sentiant,
tata remotos. Fastidiunt delicias mundi, quas vel delibasse
ret, pudet, piget, taedet eos, quos suae mens conscia
t. Pertaesio omnium, quibus antea delectabantur volupta-
euare aegritudinem nihil depellere potest, animumque seda-
n, nisi Deo per Christum reconciliati, amissam eius recu-
ratiam. Hunc ergo lacrymis, suspiriis, gemitu, supplici-
t precibus, et fide apprehenso Christi sanguine, eo vsque
t misericordiam, donec de sua certi iustificatione, ad gra-
lire finum, in eoque placide acquiescere lactentium more
tissimum itaque medium erit, acquirendae, conseruandae
erandae, verae animi, firmaeque tranquillitatis, pariter atque
e externae, si in tali cum Deo perpetuo subsistamus vnio-
etudine amica, quam cum matre sua habent γαλακτοτρο-
η, secundum illud Saluatoris nostri: Ἀμην λεγω υμιν, εαν
καυ γενησθε ως τα παιδια, ε μη εισελθητε εις την βασι-
νον Matth. XVIII. 3.

autem lactentium more, ad eumque componenda Christia-
ologorum imprimis indole, copiosius disserendi locus erit
urali, quam significare his volui paginis. Deo enim ita
gustissimi Regis et Electoris nostri Patris Patriae Indul-
omni **FRIDERICI AVGVSTI**

iae Professoris Ordinarii munus mihi clementissime demandauit.

Quo